

re. cum potius expediat flere magis quam aliquid dicere. Ueruntamen ne quid minus lucri arce dominice accedens (accedat et?) dicatur nobis. serue nequam et piger. tu erogares pecuniam meam et ego ueniens cum usuris exigere. Peto caritatem uestram ut que ipse pater familias per nos uobis ministrauerit. libenter accipere dignemini. Apostoli Pauli uerba sunt. Nox precessit dies autem appropinquauit &c. Atque in hanc sententiam deinceps commentatur Noster, primos simul exponens *Symboli* Articulos, ubi multus est in mali Daemonis conatibus Genus humanum, quod sub *Pupilli* schemate fitit, a Patre Deo abstrahendi describendis. Tempus habitus Sermonis ista designant: *Exigit a nobis ratio huius congregationis et noctis transactę uobis reddere rationem. et istius diei de tanto sacramento perceptam ueram sempiternamque demonstrare salutem.* Sacramentum hoc *Paschale* fuisse, ex eo, quod sequitur, putem: *Quid sit hoc* (deponere opera tenebrarum) *ex uerbis symboli quod modo accepistis expositum esse cognoscitur.* Abrumpitur, quod dolendum, Sermo in his uerbis: *Harenam inquit maris et pluuie guttas et dies seculi — —.*

CCLXXII. VI. 2. 4

214 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 70. f. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus, sed usu aliquantum adtritus continet I. *Isidori Hispalensis*

*Episcopi, Scriptoris* Sec. VII. *Libros III. de summo Bono*, minio sic inscriptos: *Incipit ysidorus sententiarum de summo.* Singulos Libros praecedit *Capitum* elenchus, qui tamen cum edit. *Veneta* per *Petrum Loslein* 1483. f. et cum *Parisina Jac. du Breul* 1601. f. tantum in *Libro II.* concordat. Lectio porro frequentissime abit ab utraque editione. Ad finem c. 8. L. I. noster adjicit sequentia: *Fecit deus omnia bona valde. Nichil ergo natura malum, quin et ipsa que in creaturis uidentur esse penalia, si bene utantur et bona et prospera sunt, si male utantur noceant. Ita ergo perpendenda est creatura. ex nostro usu non bona, ex sua natura ualde bona.* Cap. 19. (nobis 20) versus finem notabilis dictorum trajectio. Post *C. ult. de Gloria Sanctorum*, alia quidem manus in margine notavit: *Hic est finis primi libri*, sed in textu per 2. columnas sequitur *Caput* minio inscriptum *De penitentibus.* XXII. quod incipit: *Penitentibus exemplum iob preuius exhibet, quando post funera uel flagella adhuc in sui redargucione et in cilicio et cinere lamenta plenitudinis (penitudinis?) sumpsit dicens. Idcirco ago penitentiam in fauilla et cinere. &c.* et finit: *Pro qua re et si bona est ad extremum conuersio, tamen melior est que longe ante finem agitur. ut ad uitam securius transeat.* Nihil de hoc *Cap.* in utraque editione. Atque haec ad commendandum *Codicem* futuro *Isidori* Editori sufficiant.

II. fol. 34. p. 2. rubro: *Incipit liber soliloquiorum sancti yfidorii*. Itaque hic Libris *de Summo Bono* subjunctus est, ut in editione principe facta *Norimbergae* circa 1470. f. Praeit *Argumentum*, quod incipit: *In subsequenti hoc libro qui nuncupatur Synonima &c.* Sequitur aliud *Prooemium*, quod *Jac. du Breul* in edit. *suprac.* praefixerat Libello *de Contemptu mundi*; legerat enim initium ejus in nescio quo codice sic: *Venit ad manus meas quidam liber Ciceronis &c.* Cum vero nobis sic incipiat: *Evenit nuper ad manus meas quedam cedula quam synonymam dicunt &c.* et finiat: *Duorum autem persone hic*

*inducuntur, deslentis hominis. et admonentis rationis*, quae verba a *Dubreulii* Codice abfuere, rectius Libello nostro *Soliloquiorum* five *Synonymorum* restituendum videtur, eo etiam ex capite, quod Libellus iste reipsa *διαλογικως* inter *Animam* et *Rationem* conscriptus sit. Id, quod etiam in edit. *Norimb. suprac.* factum cernimus. *Dubreulius* porro *Soliloquia* in *duos* Libros, et Librum secundum in *Capita* distribuit, nobis decurrunt continua, multis tamen *rubricis* distincta. Uber quoque et hic variantium lectionum messis est. Ad calcem Librarius adjecit:

*Sit laus scribenti sit vita salusque legenti.*

*Lector amore dei sepe memento mei.*

III. fol. 45. currente calamo: *Incipit libellus magistri Egidii doctoris decretorum dicti de Bononia quem ad erudicionem novorum aduocatorum compilauit et bene fecit. Incipit probemium. In nomine domini nostri ihesu christi. Ego egidius de foscararis ciuis bon. doctor decretorum licet indignus ad instantiam quorundam meorum scolarium — aggredior presens opus &c.* Divisum est in *Partes V.* quarum I. de ordine in causis civilibus et ecclesiasticis in foro ecclesiastico, II. de ordine in causis spiritualibus, III. in terminalibus, IV. de cautelis Advocatorum et formationibus libellorum, V. de dispensationibus et

formulis Exordiorum tractat. Extrema sunt: *Hoc igitur opus utilia ponens et inutilia pretermittens sub breuitate qua potui terminaui, ad laudem et gloriam sancte et indiuidue trinitatis &c.* *Aegidius de Fuscherariis Tritemio* n. 428. *Bumaldo* in *Biblioth. Bonon.* *Ghirardaccio* in *Hist. Bonon.* notus obiit teste ultimo L. IX. edit. Bon. 1605. p. 282. f. anno 1289. 10. Jan. Opus illius praesens editum *Bononiae* 1572. asserit *Orlandus* in *Scriptt. Bonon.* p. 103. Itaque fallitur *Pancirolus*, qui illud L. III. c. 10. una cum Libro *de Judiciis Guil. Proredae* Angli vetustate periisse existimavit.